

DIGNITATEM
SCHOLARCHALEM,
VNANIMIBVS
PATRVM PATRIAЕ
CONSCRIPTORVM
SVFFRAGIIS,

VIRO
GENEROZO, AMPLISSIMO ATQVE
CONSVLTISSIMO DOMINO,

DOMINO
CAROLO ERNESTO
RAMSEY,

CENSORI ET CIVITATIS ET TYPOGRAPHEI
DIGNISSIMO,

A. R. S. MDCCCLXI. D. XVIII. MARTII
COLLATAM,

MVSARVM ELBINGENSIVM
PARARIUS

IACOBVS WOIT, Prof.

GRATVLANS,

Ad Anni 1595, in caussa Gymnasi Communis in Prussia alicubi aperiendi,
recenset illustratque.

ELBINGAE,
LITTERIS NOHRMANNIANIS.

DIGENITATEM
SCHOOLARIALEM
PATRUM PATRIAIE
CONSCRIBITIONVM
SOCIETATIOM
NRO
GENERO, AMPISSIMO ATOE
CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO ERNESTO
Y
CENSOR ET CIVITATIS ET TYPOGRAFIE
DIOCESANIS
A. V. 2. MDCCXVII. MCCCXVII
MASARIA. EPIPHANISIUM
VARVARIAS
IACOBAS WOLFGANG
BALTINUS
LITTERAS INDIANAS

Elogio de las costumbres de los pueblos
de la India.



Litterarum scientiarumque incrementa, a primis inde temporibus, innatas PRUSSIAE PRINCIPVM jure dici delicias; nemo nisi annalium patriæ rudis ibit negatum. Certo enim certius hi Musarum Mæcenate convicti, innumerabiles ex recta juventutis institutione in rem publicam redundare utilitates, tantoque meliores olim sperari cives; quanto melior ætatis juvenilis præcessit formatio: omnem omni tempore in promovendis studiis collocarunt operam. Quamobrem modo separatos in civitatibus litterarum adornare laborarunt Ludos, eorumque numerum statumque florentem successu temporum magis magisque augere; modo iteratis sæpius vicibus in commune consuluerunt. Commune quoddam Gymnasium, vel Academiam consociatam Prussiæ intra limites instaurare.

Taceo jam, primæva Ordinis Teutonici, Prussiæ Dominorum; memoria repetens secula, *Anselmum* Episcopum Varmensem primum, anno 1251 cum Equitibus Marianis Elbingæ paciscentem inter alia, ut Magistros scholarum in suis duntaxat locis instituant. 1) Taceo Ludum litterarium, Elbingæ seculo nisi forte jam tertio, quarto tamen certe post decimum florentem. 2) Siquidem relatum legimus, eundem in cineres paulo ante redactum a. 1322 restauratum; 3) a. 1385

novo incendio ex parte Iesum denuo reparatum, 4) atque quadriennium ante deflagrationem modo dictam h. e. a. 1381 d. 8 Sept. Lycæum Cathedrale Regiomonti ad nostri exemplar fuisse exstructum. 5) Taceo Heinr. Tusenerum Supremum Ordinis Teutonici Mareschallum eundemque Commendatorem Regiomontanum a. 1339 Welaviensibus plenariam concedentem libertatem, scholam intra urbis portæ in clytam, idoneo & litterato Viro (ut Privilegii sonant verba) con ferre. 6) Et quis tandem foret finis, si subsequentia pererrans secula, ad tempora descenderem repurgatorum per b. Lutherum sacrorum. Totidem sane mihi occurrerent Sapientiae recensendæ Officinæ, quo Prussia universa complectitur, urbes, oppida, vicosque.

1) Frid. a Dreyer Cod. Diplom. T. I. No. 221. pag. 331 sq.

2) Mentionem hujus injectit Gottfr. Zamelius, vivum Elbingæ Archivum, in notis Encyclopie Hieronymi Falconii MSt. non Fratris Christophori Falconii typis expresso adjectis, sequentibus: Dieses Kloster nebst dem alten Junkerhof, ist sel. Hru. Heinr. Horns Wittfrauen Wohnhaus, welches scheinet mit der Pfarrwidder eine Wohnung gewesen zu seyn, ist sec. 1300 die Stadtschule gewesen.

3) Fragm. MSt. incerti autoris.

4) Sigm. Meienreis Fragm. MSt.

5) Erleutertes Preussen T. III. No. 10. p. 355. Dan. Heinr. Arnold Historie der Königsb. Academie, Part. I. p. 3.

6) Lud. Reinh. von Werner gesammelte Nachrichten zur Ergänzung der Preuß. Märk. und Polnischen Geschichte, Vol. I. No. 3. p. 118 sq.

Relinquo etiam intactas diversas vicissitudines, quas temporum injuria Seminarium illud Scientiarum fuit expertum, quod Culmen in civitate Seculis XIV. XV & XVI mirum quantum, per angusta tamen temporum spatia excelluit, modo Academiæ, modo Scholæ, modo Gymnasi, induens formas. 7) Nec attingo saluberrimas quidem, ast in cassum cedentes Statuum Ordinumque Prussiæ deliberationes publice institutas, de Schola Provinciali vel Elbingæ vel Brunsbergæ aperienda. 8)

7) Hart

- 7) Hartknoch's Kirchenhistorie p. 186 & 1058. Gottfr. Zamelii Comment. de Scholis illustribus Prussiae. Ej. Academæ primum, dein & Gymnasii Culmensis in Prussia, Initia MSt. & instar omnium Joh. Dan. Hoffmanni, Collegæ conjunctissimi, Intimation des Raths zu Culm, Wegen des dasselbst No. 1554 neu aufgerichteten Gymnasii, wobei in den beigefügten Erläuterungen die Geschichte und die Schicksale der dortigen Schulen kurz beschrieben werden, autographum dignum sane quod exscriptum cum litterario communicaretur orbe.
- 8) Gottfr. Zamelii Comment. de Scholis illustribus Prussiae. MSt.

Quinpotius ad novissimas venio trium Majorum Civitatum Consultationes a. 1595 Marienburgi inchoatas, Gedani Mense Decembri continuatas, nunquam vero pertextas ad finem, de *Gymnasio Communni alicubi aperiendo*, quarum quantum ego quidem novi, unus Lengnichius, Vir Consularis Ged. deque historia patriæ immortaliter meritus, sed brevibus & quasi in transitu injectis mentionem. 9) Contigit vero mihi haud ita pridem forte fortuna, scriptum quoddam autographum, insignitum *Acta in causa Gymnasii communis in Borussia alicubi aperiendi* perlustrare. Quare haud credo frustraneum me futurum laborem, si epitomatoris jam fungens vice, potissima illius commemorabo capita, inspersis scitu necessariis ex ejusdem temporis historia.

- 9) Gottfr. Lengnich's Geschichte der Preußischen Lande, unter der Regierung Sigism. III. p. 214 sq.

Primam saluberrimo huic incepto præbuit occasionem *Synodus*, a loco congregationis, Thorunensis dicta, ac a *Dissentibus in Polonia*, adducto paulo ante anno instituta. 10) Haud postremum in illa deliberationum fuit momentum, rei scholastice in Polonia emendatio, 11) quam etiam Evangelicorum ex Prussia eadem in Synodo præsentium Internuntio maxima commendarunt emphasi, 12) eandemque in litteris ad Majores Prussiae Civitates paulo post datis gravius adhuc inculcarunt. 13) Id quod etiam in animis bonorum Prussiae eos excitavit stimulos, ut omnibus postea ducerentur cogitationibus pia hæc vota

ac desideria quantocius effectui dare. Antesignanum vero toto hocce
in negotio obtulit se *Heinricus Strobant Præcons. Thorun.* post fata
etiam maximus. Ipse enim cum Delegatis civitatum Prussiæ ad Con-
ventum generalem d. 9 Junii dicti sæpius jam anni Mariæburgi cele-
brandum congregatis, Sermonem protrepticum Cal. Jun., ut in calce
eiusdem legitur, communicavit, de adornando Gymnasio communi in
Prussiæ oris, qui *Articulum I. Actorum* jam percensendorum absol-
vit.¹⁴⁾ Ex quo satis, ut mihi quidem videtur, patescit, Deputatos
hosce data opera atque ex composito aliquot antecipasse dies terminum
Conventus generalis, ut nimirum sibi restaret tempus ad deliberatio-
nes hasce rite & eo secretius, ut Strobantius cavit, instituendas.
Sedecim hic Discursus comprehendit paragraphos, nihil nisi pium quen-
dam & vere heroicum in religionem & Patriam spirans zelum, ar-
gumentisque ut institutum hoc Delegatis persuaderet refertus ponderis
maximi. Inprimis vero illis, ut monui jam, commendat silentium, ne
consilia hæc saluberrima statim sub initium ab adversariis vel retarda-
rentur, vel pessundarentur in totum.

10) Hartk. l. c. p. 897 sq. Lengn. l. c. p. 198,

11) Id. l. c. Docum. No. XXXIII. p. 110,

12) Ibid. Docum. No. XXXII. p. 86. Item p. 129.

13) Cit. loc. Docum. No. XXXV. p. 139.

14) Ipsa inscriptionis verba sic sonant, Hrn. Heinrich Strobant's Discours von Anstel-
lung einer gemeinen Schule in Preussen Ao. 1595. Ad quos vero is fuerit directus
sequentia docent: Den Ehrenvesten, Nahmhaften, Ehrbaren, Wohlweisen Herren in
Marienburg, Abgesandten der Königl. Preußischen Städte, Thorn, Elbing, Danzig
Marienburg, Graudenz, Dæwra, und deroselben benachbarten Verwandten, Meinen
Großgästigen Herren und besondern guten Freunden.

Adjecit exhortationi huic aliud scriptum, prænotatum *Summa
capita deliberationis de aperiendo novo ludo litterarum.* Brevibus hoc
conceptum lemmatibus, novem constat partibus, quarum quælibet

bipartita est, agens vel de *Institutione Classica vel Academia*, ubi ad hanc spectantia signo separato sunt notata. Ex quo sequi mihi videtur, dubias adhucdum hæsisse Civitates, utrum Gymnasium an Academiam essent instauraturi. Postremo similibus lemmatibus perbrevem subnedit Epilogum, Requisita adumbrantem partim *interna*, partim *externa*.

Quem vero Consultationes hæ Mariæburgi habuerint successum, vel quoisque processerint, ex defectu documentorum afferere haud valeo. Id tamen ex sequentibus certum satis, convenisse ibidem inter Civitatum Internuntios, Consilia hæc propediem alicubi continuare. *Articulus enim II.* Actorum sequentem in fronte gerit inscriptionem: *Capita futuræ Deliberationis de Gymnasio communi alicubi aperiendo.* Locum vero huic negotio destinatum Gedanum fuisse, Prussiæ nos certiores facit Tacitus, *Lengnicbius* 15) emendandus tamen ubi affirmat consilia hæc gymnastica Gedani primum Decembri mense fuisse inchoata, ubi modo adducta evincunt, non inchoata sed continuata ibidem fuisse. Dubium *Art. hic II.* relinquunt Lectorem, quis Capitum horum sit autor. Quodsi vero *Art. III.* huic jungimus, expresse intelligimus, utrumque *M. Uldaricum Schoberum Gymnasii Thor. ea ætate Prorectorem vel Correctorem elaborasse*, & quidem Strobantii auctoritate. Brevi enim procœmio huic *Art. III.* præmisso Schoberi nomen una cum die traditionis capitum est adjectum, nempe d. 22 Sept. Ao. 95. Rubri verba autem edocent nos, dicatum *Viris Amplissimis Dn. Henrico Strobantio & Dno. Stanislao Schultzio.* 16)

15) l. c. p. 214.

16) Hunc matricula Conf. Thor. nominat Stenzel Schulf ad annum sœpe dictum & dubio procul eadem cum hoc Stan. Schultzio est persona, quippe forte ex inusitato Schulf nomine, per mutilationem vulgi Schultz factum, dum hodie adhuc vidua nata Schulfia Thorunii est superest.

Ex quo hæc ego colligo. Primum, eundem hunc Schoberum & *Art. II.* esse autorem. Namque his ipsum orditur verbis: “Uni-
“versus

"versus coetus scholasticus in duo genera authore Sturmio distribuitur,
 "quorum alterum pueritiae est: quod necessarias perpetuasque habet
 "auscultationes, alterum adultae etatis, quod publicas liberasque,
 "requirit. Jam cum de posteriori capita quædam obiter conscripta,
 "disquisitioni intelligentium virorum subjecerimus: de priori in
 "præsentia mutato rerum ordine dicendum est." Tum id inde
 deduco, Art. II. Sectionem I. Capitum Deliberationis esse, Art. III.
 vero Sect. II. Deinde & hoc ex allatis repeto, Art. II. brevi ante
 III. hisce Litterarum Statoribus fuisse traditum. Proœmium etc.
 nam paulo ante commemoratum, sequentibus incipit verbis:
 "Quod mihi in mandatis dedistis Patroni charissimi, feci non pe-
 "feci. Qui enim potuerim his tam paucis horis, quæ mihi a dispu-
 "tatione proxima sunt relictæ." Denique non erraturum me spero,
 si Strobandtium primum totius operis dicam autorem ac motorem,
 quippe ejusdem autoritate hæc Deliberationis Capita tempore inter-
 medio inter Conventum Mariæburgensem & Congressum Gedanensem
 fuere adornata. Complectitur autem Art. II. summatim paragraphs
 CXXXIII, ex quibus triginti priores generaliora continent monita Gy-
 mnasium Commune concernentia, una cum pathetica exhortatione,
 ut consultationes has forti & intrepido suscipiant animo. Reliquos
 in duo divisit Capita, quorum primum de Institutione litterata in ge-
 nere agit, in specie de scopo, forma, tempore ac operarum partitione,
 tam generali, quam speciali, & quidem æque in Gymnasio ac in Aca-
 demia instaurandis, in altero ad Media pergit, quibus finis propositus
 assequendus h. e. Gymnasium ipsum & Personas adjunctas, partim ad
 Gymnasium pertinentes, qui, nempe ipsius ex mente, sunt Scholarchæ
 tres, Visitatores totidem, Praeceptores Classici undecim, exceptis Calli-
 grapho & Linguae Polonicae Magistris, & Familis duobus, præterea Do-
 centes publici, in Primis duobus Ordinibus numero octo; partim Suntus
 conferentes, Civitates nimirum Prussiae & Poloni liberos in hunc lu-
 dum transmittentes: porro de Sumtibus ipsis ad Gymnasium æque ac ad
 Oeconomiam necessariis, qui ducta summa fuerunt 4000 flor. exceptis
 aliis.

tamen, quæ discentes ex propriis, Oeconomio, singulis septimanis, pro viatu pendent, nempe *Indigenæ* 10 gross. & *Exteri* 20 gross.

Actorum Art. III. s. Sectio altera Capitum *Deliberationis* similiter brevibus positionibus est consignatus, ex quibus viginti priores prænotiones quasdam huc facientes tradunt, quas novem aliæ excipiunt, suppedantes *Generalia* quædam omnes in universum Clases attingentia, tandemque sequuntur, quæ circa quamlibet Classem (quibus ex mente sua denarium assignat numerum) in specie sunt observanda, similibus positionibus modo pluribus, modo paucioribus.

Jam ad Art. IV. Actorum Gymnasii venio, nihil habentem in fronte, quod de argumento illius nos faciat certiores, ex subscriptione tamen perspicimus Doct. Jacobum Fabricium, Rectorem tum temporis Gymn. Gedan. illius esse autorem, eundemque suo & Collegæ M. Petri Loffii vel (ut *Prætorius in Athen.* Gedan. eum appellat) *Loffii*, Senioris Conrectoris nomine perfecisse. Quod vero ad argumentum ex capite & calce discimus, *Responsionem esse ad antecedentes Articulos duos modo recensitos*. Nam hoc ipsius est initium. "Cum deliberationes de aperienda aliqua Schola Generali in hoc Regalis Prussiae territorio jam suscipiantur & designatio constitutionis illius ac authorum & lectionum in ea habendatum ad nos missa sit, nostrumque de eo judicium expetatur; breviter non reprehendendi aliena, sed monendi ac in medium consulendi animo mentem nostram aperiemus, quæ aliorum etiam judicio subjicimus, parati meliora monentibus cedere." Finis vero sequens. "Et hæc quidem sunt præcipua, quæ breviter ad aperiendum consilium & sententiam nostram requisiti monere voluimus: de quibus omnibus, ut amice inter se conferant Scholarum Majorum Civitatum Præceptores Primarii, opera pretium judicavimus, ut de præceptis artium & authoribus in singulis classibus proponendis aliquid certi constituantur, & deinceps constanter observetur ab omnibus." *Fabricio autem in Thoru-*

Thorunensium sententia displicentia, eo potissimum redeunt, ut nec in classium distributione, lectionibusque singulis classibus destinatis, nec in numero classium Schobero applaudat, huncque denarium Thorunensibus ad mentem Sturmi Dictatoris quondam Scholarum communis placentem, adductis ex rationibus, ad septenarium, vel ad summum octonarium restringat. In lectionibus vero autoribusque singularum classium taxandis diffusior est, quam ut hic persequi singula possimus.

Officii mei jam quidem requirent partes, Elbingensem referre symbolam ad hoc litterarum consiliorumque commercium collatum: quam vero in Actis hisce invenio nullam ipsamque rei hujus caussam prorsus ignoro. Nam profiteri, vel nihil omnino cum Elbingensibus, communicatum, vel a Thorunensibus sibi transmissa singula ex aſſe placuisse, vel Acta haec manca esse mutilataque, vel alias fonticas ipsis fuisse cauſas, nihil consulendi in medium, conjecturæ essent, quibus locus hic est nullus.

Quin itaque ad Actorum Art. V. transeo, qui Dispositionem, vel Catalogum universalem omnium in quavis classium Gymnasii futuri Lectionum tractandarum oculis subjicit, adpositis simul autoribus, ad quorum ductum lectiones haec sint instituendæ. Sequens vero in his observatur ordo, ut initium fiat a classe X & IX. quæ, quia easdem per cuncta habent lectiones, una hic complectuntur, indeque procedatur ad sequentes, usque ad primam. Post sequatur Conspectus publicarum lectionum, & tandem Generalia quedam monita circa labores scholasticos apponantur. In umbilico denique, trium Thorunensis Elbing. & Gedanensis Gymnasiorum ejus temporis Rectorum & Correctorum priorum tantum duorum legitimus nomina, cuiuslibet propria manu subscripta & hoc quidem ordine; Jacobus Fabricius, D. M. Petrus Loff., M. Caspar Friesius, M. Huldricus Schoberus, Thomas Rotus.

Agmen

Agmen quasi percensorum hactenus *Actorum Plagulæ* claudunt duæ, in forma patenti propositæ. Sistunt eadem oculis uno conspectu ad modum Tabulæ in certas columnas divisæ, classis cuiusvis labores, in modo dicto catalogo sibi assignatos, quo nempe ordine dierum horarumque sint proponendi, adposito superius anno tætatis, quo quilibet discipulorum in hanc vel illam classem foret recipiendus, atque ita quidem, ut requiratur, Classis nonæ discipulum septimum vel octavum, octavæ nonum, septimæ decimum & ita porro agere annum. Hæc vero me latent, quæ sit causa, cur tabula prior ad secundam, altera autem ad quartam saltem se extendat classem. Præterea habet tabularum harum posterior hoc etiam singulare, ut cuiuslibet classis columnæ Docentis superne impositum sit nomen, inter quos nonnullos invenio, qui, vel eo tempore, vel paulo post, in Gymnasio Elbingensi Docentium functi fuere munere. Ast Temporis momentum, quo vel Catalogus hic Rectorum Correctorumque omnibus insignitus, vel Tabulæ hæc sint concinnatae, maxime est dubium, nullo vel die, vel anno illis adjecto, adeoque dubius hæreο certo asserere, utrum ante, vel tempore Congressus Gedanensis sint perfecti, quamquam ex præsentia horum, in dicto congressu, ut postea dicendum erit, ut & ex verbis in calce *Responsionis Fabricii*, superiorius recensitæ, adductis, aliqua ex parte simile videtur vero, ipsos ex communi inter se consensu eadem Gedani scriptis consignasse.

Nihil itaque jam restat, nisi ut ad Congressum ipsum Gedani institutum accedam, brevibusque ibidem Acta percenseam. Quod itaque ad terminum Congressus, Lengnichii accedimus ad sententiam, loco saepius citato nos edocentis, mensem Decembrem fuisse, quum Civitatum Prussiæ Delegati, nempe Thorunenses, Elbingenses & Marienburgenses ibidem confluxerunt. Quot vero & qui ex qualibet urbe eo convenerint Deputati, neque Lengnichius refert, neque ipse, certa destitutus notitia, confirmare ausim. Id tamen mihi maxime videtur probabile, in his fuisse, ex partibus Thorunensium Henricum b 2 Stro-

Strobandtium, Virum ad litterarum studia procuranda & augenda quasi natum, ex Elbingensium gremio *M. Job. Sprengelium a Roebern*, Praecons., simili in Musas affectu inflaminatum, Gymnasii patrii paulo post restauratorem, & Mariæburgensem ex ordine Consulari, *Gregorium Heseium*, consiliis in patriam non minus, quam scriptis in autographo adhuc latentibus clarissimum. In partem tandem consiliorum Gymnasii Communis acciti fuere Civitatum Majorum partim Rectores soli, partim etiam Correctores in hunc finem, ut paulo ante percepimus, præsentes, ut sententiam suam in hoc negotio ex communi ipsorum consilio adprobataam, Consultatoribus, ad ulteriores offerrent deliberationes.

Quo facto communia hæc consilia suum feliciter ceperunt initium, spesque affulgebat maxima, eadem non solum ex voto successura, sed universæ quoque Patriæ aliquando futura saluberrima maxime. Jam enim inter ipsos convenerat de *Loco*, quo Gymnasium Commune foret exstruendum, nimirum Thorunii. Nec minus *Sumptus exstruptionis æque ac Præbita annua 4000 flor* constanta, ad calculos revocabantur, quarum posteriorum partem alteram Thorunenses, ob rationes ante dictas, penderent, altera vero pars inter reliquas Prussiæ Civitates, cum Majores, tum Minores, ut & Polonus, liberos suos in hanc Musarum sedem communem futuro tempore mittentes, pro cuiuslibet facultatibus, dispertirentur. Processerant etiam ad deliberationem *Inspectionis* quibus ea coimittenda, qui *Scholarachæ ac Visitatores* constituendi, atque numne *Inspectionis* hæc consociata esset, ut ex qualibet forte urbe unus eligeretur, qui statutis temporibus convenientes, ex consilii sententia Cimelii hujus Patriæ universæ bonum procurarent. Tandem sermones etiam miscabantur, de *Numero ac Dexteritate Doctorum* ad novum hoc Seminarium evocandorum.

Quia

Quia vero Delegati ibidem præsentes haudquæquam plena
instructi erant facultate, ut consilia modo inita rata grataque haberent,
vel colophonem operi imponerent: placuit ipsis deliberata ad Collegas
quisque suos deferre, hac tamen cautione interposita, se communicaturos
cum Civitatibus sororio nexu colligatis, quicquid apud quamlibet civi-
tatem steterit firmum, tumque ultimam operi huic admoturos manum.

Ast, quod dolendum maxime! consilia hæc Patriæ aliquando
sane utilissima atque mirum quantum jam proiecta, ulteriori caruisse
successu, quippe commune est silentium quicquam postea fuisse
actum, utrum vero ob temporum calamitates, an adversariorum
machinationes contrarias, affirmet uberioribus instructus documentis.

Is tamen ex consiliis hisce in cassum ventilatis in patriam
communem Prussiam propullulavit fructus. Quælibet Civitatum ma-
jorum pro innato in studia amore atque affectu exinde separata
init consilia, de emendando Ludo litterario, qualibet in urbe olim
jam constituto, visumque fuit aliam alii palmam in hoc passu velle
præripere.

Non quidem jam vacat, singula urbis cuiuslibet percensere
conamina: Ingratus tamen in patriam meam esse civis, nisi hoc loco
memoriam atque origines Gymnasi patrii refricare, quod phœnicis
instar ex irritis hisce Gymnasi Prussici communis consiliorum cineri-
bus paulo post succrevit feliciter. Quem enim fugit inde ab hoc
temporis momento, saepius iterata in Senatus Permagnifici Confessibus
habita fuisse consilia, Ludo quod per tres partes quartas seculi jam
vigerat, splendidiorem fœnerari formam lucemque. Annuit quo-
que Numen ter sanctum consiliis hisce salutiferis, ut biennium ante
sexcentesimum supra millesimum annum, firma Senatus Permagnifici
staret sententia, diruto male materiato ædificio scholastico, præsens
ex fundamentis exstruere Palatum. Id quod etiam ita successit feli-
citer,

citer, ut ultimo ante seculi decimi sexti initium anno, d. 26 Novembris, nova hæc inauguraretur moles quam solemnissime. Nec quoque posteris temporibus indefessa Patrum Patriæ cessavit cura ac sollicitudo; quin tempus loquetur anus, quæ commoda, quæ augmenta, quae incrementa, quemque splendorem Musagetæ Elbingenses suis evigilarint Camœnis.¹⁷⁾ Sed quid præterita mente recolo tempora? Idem adhuc Castalidum nostrarum Nutritoribus indulgentissimis insidet affectus, eademque propensio nullis circumscriptis limitibus.

¹⁷⁾ Lege de his omnibus fusius Joh. Langii, Rectoris & Amici æstumatissimi, Historisches Denkmal der dreymal funzigsten Jubelfeier des Gymnasii in Elbing n.

Possem vel majus asserti mei adducere documentum, quam TE VIR GENEROSE AMPLISSIME atque CONSULTISSIME, quem unanimis Patrum Conscriptorum consensus, votaque unanimia Musis nostris, morte Consulis Senioris & Scholarchæ meritissimi, Viri in vivis Prænobilissimi, Amplissimi atque Consultissimi ALEXANDRI VNTERBERG orbatis, haud ita pridem donavit SCHOLARCHAM? Læti hoc nuntio diu jam exoptato, gradibus advolamus citatis, TE, VIR GENEROSE atque AMPLISSIME, Scholarcham veneraturi novum, non novitum Musarum Mæcenatem. Gratulamur

mur TIBI honores præsentes, non ut onus, sed grata
tam animi relaxationem, mente, ore, calamo, sincer-
rimis observantiæ nostræ in TE indicis. Gratulamur
nobis Scholarcham non hospitem in parnasso, sed
contubernalem, tempus a consiliis publicis vacuum
litterario insumentem otio. Gratulamur nobis, TE,
PROTOSCHOLARCHE OPTIMO as-
sociatum, sociatis invicem consiliis Libethridum com-
moda & incrementa promoturum certo certius.
Aurea jam in antecessum SPRENGELIORVM, ISEN-
DORFFIORVM atque BRAVNIORVM, ex tantorum
Musagetarum connubio Novelletto nostro auguramur
secula. Arceat modo DEVS ter Sanctus omnia cala-
mitatum genera a Patria Patriæque Ephebeo quam cle-
mentissime, ut post nubila præsentia propediem gaudeat
Patria, gaudeamus & nos ipsi halcedoniis omni ex parte
pacatis.

Capesse itaque felicissimo sub auspicio novam
hanc spartam, collatam TIBI, VIR GENEROSE,
non ut eam bene de nobis merendo promerearis, sed
pro-

promeritam jam dudum, incentivo T V O in Musas
affectu, meritis in rem litterariam eximiis, innataque
T I B I in Apollinis sorores liberalitate. Fungere hoc
officio feliciter & ex votis, quam diutissime. Juva-
bimus T E precibus, votis, reverentia, obsequio. Lar-
giatur T I B I Numen Clementissimum vires & corporis
& animi perennes prosperitatique addat diurnitatem,
ut per plurima adhuc lustra consiliis & publicis & scho-
lasticis cum fructu intersis maximo. Adaugeat in dies
T Y A M F A M I L I A E que G E N E R O S A E
beatitatem omnigenam, ut S T I R P E M acceptam
a Majoribus S P L E N D I D A M, tradas Posteris
S P L E N D I S S I M A M.

